

DISSERTATIO IV.

DE RELIGIONIS INGRESSU, NOVITIATU, ET PROFESSIONE.

Div. Thom. Quest. 189.

ARTICULUS I.

De conditionibus recipiendorum ad Religionem.

Deo. Quisquis baptizatus, qui est sui juris, & nullo aliunde impedimento irretitus, potest admitti ad Religionem; quia Religio est bonum commune, a quo nemo repelli potest absque justa causa.

Explicatur Conclusio. Dicitur 1. Quisquis baptizatus; quia Religio est pars Ecclesiae, cui nullus incorporari potest, nisi sit Ecclesiae & ipsi Christo per Baptismum incorporatus. Dicitur 2. Qui est sui juris; quia aliquando non potest se totum tradere Religioni, ut fit per Professionem Religiosam.

Hinc sequitur 1. Servum, seu mancipium non posse sine consensu Domini admitti ad Religionem, nec validam esse ejus Professionem, nisi fiat post triennium ab ingressu; quia, si intra triennium non sit requisitus a Domino, validè elapso triennio proficitur; tunc quia Dominus censetur renuntiasse juri suo; tunc quia vi juris mox citandi servus tunc recuperat suam libertatem. Ita in Jure Cap. Si quis 17. q. 2. ex Bonifacio I. his terminis: Si quis incognitus Monasterium ingredi voluerit, ante triennium Monachi habitus ei non praestetur: Et si intra tres annos aut servus, aut Libertus solutus (id est, qui alieni est obligatus, non ratione pecuniae, sed personae) queratur a Domino suo, reddatur ei cum omnibus, quae attulit, fide tamen accepta de impunitate. Si autem intra triennium non fuerit requisitus, postea queri non potest, nisi sit tam longè, quòd inventi non possit, sed tantum ea, quae in Monasterium attulit, Dominus Servi accipiat. Recipientes autem sine licentia Domini excommunicantur. Cap. Qui verè 6. q. 1. ex Concil. Carth. Intelligit, si noverint, eum esse servum; quo casu invalida est Professio etiam post triennium; quia Ecclesia non intendit favere fraudibus, textusque Juris expressè loquitur de incognito; teneatur Religio restituere non solum servum & ea, quae attulit, sed etiam damna secundum illius aestimationem.

Sequitur 2. (Hic q. 189. art. 7. o.) Episcopus nec licitè, nec validè posse admitti ad Religionem sine licentia Papae; quia ratione voti taciti, quod emittunt in sua Consecratione, perpetuè adstringuntur suae Ecclesiae sub obedientia Papae; Officium autem Episcopi est per modum causae principalis, & ex natura sua perpetuum. Et ita habetur Cap. Licet quibusdam 18. de Regularibus & transeuntibus ad Religionem libr. 3. tit. 31. Secus dicendum (Ibid.) de Presbyteris, etiam Curatis, & Archidiaconis; hi enim licitè & validè possunt ingredi & profiteri Religionem, etiam contradicente Episcopo, non tamen eo inconsulto. Ita Cap. Dux sunt 19. q. 2. Et ratio est; quia eorum officium non est principale, ut officium Episcoporum, & ideo non est perpetuum, illudque deserere possunt.

Sequitur 3. Conjuges, consummato matrimonio, nec licitè, nec validè posse admitti ad Religionem, nisi ex consensu comparitis; aut nisi propter adulterium notorium illius; quia per consummationem Matrimonii conjuges fiunt una caro, ita quòd vir sit mulieris, & mulier viri, sicque non sunt sui juris. Dixi 1. Consummato Matrimonio; quia ante consummationem intra primum bimestre, quod a Jure conceditur conjugibus ad deliberandum de ingressu Religionis, & quo non teneatur reddere debitum, possunt conjuges, etiam invita compare, licitè & validè admitti ad Religionem, ita ut adveniente Professione dissolvatur Matrimonium, & pars remanens in saeculo potest transire ad secundas nuptias. Si autem elapso bimestri non sit consummatum Matrimonium, conjux non potest licitè invita compare transire ad Religionem; quia tenetur ei petenti reddere debitum: si tamen ingrediatur, & profiteatur, videtur multis Professio valida; quia Jura in gratiam Religionis generalitèr statuunt, Matrimonium inconsummatum dissolvi per Professionem Religiosam; sicque videtur non concessisse bimestre, nisi ut intra illud posset negari debitum petenti, ultra illud non posset.

Utrum autem uxor vi a marito oppressa intra bimestre possit adhuc ingredi & profiteri Religionem? Respondi olim cum pluribus probabilibus affirmativè; quia per violentiam sibi illatam non debet privari jure suo. Verum nunc, re attentius con-

siderata, Resolutio mihi videtur dubia; quia reverà, etsi per violentiam, Matrimonium est consummatum, & conjuges facti una caro, indèque potest nasci proles; passa est quidem injuriam uxor, sed ex illa injuria videtur facta inhabilis ad Religionem, sicut si per violentiam amputatum esset illi utrumque brachium: pro injuria autem satisfaciatur illi oppressor meliori, quo potest, modo.

Porro, si Matrimonium ratum & non consummatum non impedit, quominus conjuges possint licitè, & validè ingredi & profiteri Religionem, a fortiori sponsalia etiam jurata non impediunt, quippe quae sunt minus vinculum, quàm matrimonium ratum, & quae contrahantur semper sicut matrimonium ratum sub hac tacita conditione, nisi voluerit intrare Religionem. Intelligit tamen, modò spontus non violaverit sponsam sub promissione matrimonii; tenetur enim tunc ex justitia matrimonium cum illa non solum contrahere, sed etiam consummare; quia res promissa non est tantum matrimonium ratum, sed etiam consummatum; hoc est enim, quod nomine matrimonii absolute intelligunt promittentes & promissarii. Idem dic de illo, qui sine promissione matrimonii, sed vi, vel fraude virginem deforavit, si non possit, nisi nubendo, ejus infamiam impedire; tunc enim est debitum personale, non reale tantum, aut pecuniarium. In his tamen casibus foret valida professio, licet illicita.

Dixi 2. Nisi ex consensu comparitis: pars autem consentiens, si sit juvenis, debet paritèr ingredi & profiteri Religionem: si verò sit senex, potest remanere in saeculo, sed cum voto continentiae. Ita in Jure c. Cum sis, cap. Uxoratus, & cap. Ad Apostolicam Sedem de Conversione conjugat. libr. 3. tit. 32. Dixi 3. Vel nisi propter adulterium notorium illius. Cap. Significasti de divortio libr. 4. tit. 19. modò tamen pars volens Religionem suscipere non sit etiam adultera; nam paria crimina mutua compensatione delentur. Cap. finali de Adulterio libr. 5. tit. 16. Pars autem innocente ingrediente Religionem, non tenetur pars nocens, etsi juvenis, ingredi Religionem, vel votare continentiam; quia id nullo Jure statuitur, sicut statuitur in precedenti. Dicitur 3. in Conclusionè: & nullo alio impedimento irretitus; sunt autem multiplices generis impedimenta Religionis suscipiendae. Quaedam sunt ex Jure naturae, quaedam ex Jure positivo, quaedam impediunt tantum, quaedam dirimentia, non secus ac matrimonium; est enim Professio Religiosa, non secus ac matrimonium, contractus inter Profitemem & Religionem acceptantem, ita ut possit quandoquè esse invalida, quandoquè valida, sed illicita, non enim Lex prohibens professionem semper illam irritat.

Impedimenta dirimentia.

Primum impedimentum, quo Receptio & Professio Religiosa fit nectum illicita, sed etiam invalida, praeter jam dicta de defectu juris in seipsum, est differentia sexus, ita ut vir nec licitè, nec validè potest recipi, aut profiteri in Conventu Mulierum; nec mulier in Conventu Virorum. Non solum quia in Jure Cap. Definitur, & Cap. In nullo 18. q. 1. prohibetur cohabitatio Monachorum cum Monialibus; non enim, ut jam dixi, omne quod prohibetur, irritatur; sed quia hujusmodi Professio non fit in Religione ab Ecclesia approbata; Religiones enim virorum non sunt approbatæ pro mulieribus, nec mulierum pro viris. Secundum impedimentum dirimens est, si recipiendus sit Hermaphroditus. Sed hic opus est distinctione. Communis Sententia tenet, Hermaphroditum, si uterque sexus sit aequalis, nec licitè, nec validè posse recipi, aut profiteri; quia respectu femininarum est vir, & respectu virorum est mulier: si autem unus sexus praevaleat, posse, si non licitè, saltem validè profiteri Religionem in Conventu ejusdem sexus cum eo, qui in eo praevaleat, non in Conventu alterius sexus. Verum existimo, hoc ultimam intelligendum esse sub aliqua distinctione; si namquè unus sexus praevaleat, ut alter sit omninò ineptus, inutilis ad usum venerorum, Resolutionem admitto; secus autem, si quamvis unus sexus praevaleat, alter tamen sit adhuc aptus ad usum venerorum; quia, cum talis Hermaphroditus in ordine ad incontinentiam possit cum mulieribus agere, quae viri sunt, & cum viris pati, quae sunt mulieris, respectivè ad mulieres venire debet nomine viri, & respectivè ad viros nomine mulieris. Quòd

si

si detor talis Hermaphroditus, qui neutrum sexum habeat, proit natura requirit ad usum venerorum, is secundum Medicos debet censerì femina, & sic nihil prohibet eum admitti in Monasterio feminatum.

Sed quid, si mulier evadat in virum? R. quòd, simpliciter loquendo, nunquam secundum Medicos possit mulier evadere in virum, sed tantum potest contingere, quòd quae apparebat mulier, postea appareat vir, quatenus sexus virilis, qui propter frigiditatem non se prodibat, adveniente pubertate & calore crescente manifestetur; quo casu, si uterque sexus maneat ad usum venerum aptus, neque inter viros, neque inter mulieres potest validè admitti, ut supra dictum est: si autem sit unus sexus virilis, & fortè professus sit in Monasterio mulierum, ejus professio nec est, nec unquam fuit valida; quia semper fuit vir etsi talis non appareret, sicque professus est in Religione non approbata pro viris.

Tertium impedimentum dirimens est amentia, si adsit, dum acta emittitur Professio; quia ad illam requiritur consensus liber, cujus amens est incapax.

Neque dicas, matere virtualitèr consentium ex priori voluntate profectendi; non est enim virtus consentium, nisi adsit confusa saltem notitia rei quae agitur, item confusa memoria voluntatis praecedentis, ac tandem facultas amplius deliberandi & priorem voluntatem revocandi, quae non sunt in amente. Qui verò est amentis tantum circa aliquam materiam, aut habet lucida intervalla; quamvis possit validè admitti & profiteri, non tamen licitè, quia non est aptus ad Religionem.

Quartum impedimentum dirimens est defectus aetatis sexdecim annorum completorum, & anni Novitiatus. Ita Trid session 25. de Regul. cap. 15. his terminis: In quacunque Religione tam virorum, quam mulierum, professio non fiat ante 16. annum expletum, nec qui minori tempore quam per annum post susceptum habitum in probatione steterit, ad professionem admittatur: Professio autem antea facta sit nulla, nullamque inducat obligationem ad alicujus Regulae, vel Religionis, vel Ordinis observantiam, aut ad alios quoscumque effectus. De anno Novitiatus dicam infra, dum de Novitiatu.

Impedimenta impediunt tantum.

Primo (Hic q. 189. art. 6. o.) Illicitè admittitur & profectur filius, cujus Parentes sunt in gravi necessitate, & qui manens in saeculo succurrere potest sine salutis dispendio: quia praecipuum naturale honorandi Parentibus praevaleat consilio, imò & voto ingrediendi Religionem. De hoc casu latius dixi in Tract. de virtutibus Justitiae annexis Diss. 1. de pietate art. 2. require. 2. Illicitè admittuntur criminosi, id est, homicidae, fures, & similibus ac graviorum criminum rei, si tamen sint notorii aliqua notorietate Juris, puta, quòd de his facta sit accusatio, seu inquisitio a Judice saeculari. Ita Sixtus V. in Const. Cum omnibus, & Const. Ad Romanum, qui illorum professionem irritaverat, sed quam irritationem sustulit Clemens VIII. Const. In supremam; relicti tamen poenis, quas praefatos recipientibus imposerat Sixtus V. scilicet privatione vocis activae & passivae, & officiorum, graduum, dignitatum, & inhabilitatis ad illa.

3. Excommunicatus, etiamsi toleratus, illicitè recipitur in Religione; quia licet Fideles possint cum illo communicare, ille tamen non potest seingere communicationi fidelium. Undè & ipse peccat, & qui ipsum recipit; quia illius peccato cooperatur. Aliæ autem Censurae, quatenus impediunt a divinis, etiam impediunt susceptionem habitus. 4. Illegitimus illicitè recipitur in Religione, in qua ejus Pater professus adhuc vivit; & recipientis excommunicatur ex Gregor. XIV. Bolla Circumspecta, validè tamen recipitur & profectur, quia non irritatur.

5. Ingenti aere alieno supra vires starum facultatum gravati, vel ratiocinii reddendis obnoxii, ita ut ex ejusmodi causalibus vel molestia sit illata, vel timendum sit, ne inferatur, non possunt licitè in Religione admitti, nisi debitores cedant suis bonis, & nulla seu viri ulla sit spes, quòd remanens in saeculo sint solvendo. Admittentes autem privantur voce activa & passiva, officiis, dignitatibus, gradibus, & suat perpetuò inhabiles ad illa. Ita Sixtus V. Bolla Cum omnibus, in qua etiam irritaverat illorum professionem, sed Clemens VIII. irritationem sustulit, manentibus tamen poenis contra recipientes. De hoc impedimento latè disserui in Tract. de Jure & Just. Diss. 8. art. 20. de causis excusantibus a restitutione, quarta causa. Vide ibi.

Observandum dumtaxat, hac Constitutione Sixtina non comprehenduntur 1. Moniales, ut idem Sixtus V. declaravit alia Constitutione, Ad Romanum. 2. Non comprehenduntur Ordines militares; quia, cum sui bona administrant ex consensu Religionis, non magis redduntur inhabiles ad solvendum, quàm si manerent in saeculo. 3. Non comprehenduntur debitores incerti, qui scilicet ignorant cui debeant. Colligitur ex Bolla Six-

tina, ubi dicitur: Quorum Dominus facta diligenti inquisitione potest sacri. Adde, quòd hujusmodi debitum incertum possit converti in usum pios, atque adeò applicari Monasterio, quòd quis ingreditur. 4. Non comprehenduntur debitores, cujus debitum est levis momenti, aut non superat facultates debitoris, ut patet ex textu Bullae. 5. Non comprehenduntur debitores ex liberali promissione, tunc quia promissio liberalis non obligat supra vires; tunc quia debitor ex promissione liberali non gravatur aere alieno; tunc deniquè, quia in omni promissione liberali semper subintelligitur, nisi voluerit Religionem ingredi. Comprehenduntur tamen debitores ex delicto; quia qui intulit alteri damnum pecunia aestimabile, est verè aere alieno gravatus, quatenus habet alterius damnum, quòd est, pecunia redimendum.

6. Illicitè recipiuntur infames, sive ex delicto enormi notorio notorietate Juris, sive ex poena ignominiosa, puta morte, flagellatione, triribus, a Judice imposita; sive ex genere artis, seu facti, ut sunt carnifices, scurræ, histriones, lenones, &c. Nisi infames ex delicto aut poena poenitentia diuturna & morum sanctitate; infames autem ex officio, nisi eo dimisso singularibus meritis infamiam diluerint: quia Religio est status honorificus, quem libenter assumunt viri tunc genere nobiles, tunc virtutibus & honore praeminentes, quibus esset grave fieri socios & confratres personarum infamium; indeque Religio amitteret suam dignitatem & suum decorem.

ARTICULUS II.

De Novitiatu.

Novitiatus est mutuum experimentum, quo Religio ex una parte experitur mores & qualitates Novitii, ut videat an expediat illum admittere, vel ejicere, & Novitius ex altera parte experitur Religionis austeritates & statuta, suamque indolem, ut videat, an sibi expediat illam profiteri. Quòd cum sit nunc institutum non in solum privatam utilitatem Novitii & Monasterii, sed in bonum totius Religionis & Ecclesiae, ne scilicet ex professione temerè facta sequantur gravia damna & scandala, non potest illi renuntiare ex consensu utriusque partis, nempe Novitii & Monasterii, ut fiebat olim.

Quaestio est 1. An in habitu Religioso debeat peragi Novitiatus? 2. In qua aetate? 3. In quo loco? 4. Quanto tempore? 5. An tempus istud debeat esse continuu? Quas quaestiones distinctis §§ discutiamus. Undè sit

§. I. In quo habitu debeat peragi Novitiatus?

Dico 1. Novitiatus debet regularitèr peragi in habitu Religiosis, quam intendit profiteri Novitius. Patet tunc ex Jure communi, cap. Ad Apostolicam, cap. Super eo, & cap. Statutum de Regularibus; item cap. 1. eod. Tit. in 6. & Clement. Eos eodem Tit. ubi sic statuitur: tunc ex communi praxi omnium Religionum; tunc deniquè, quia gestatio habitus Religiosi est aliqua Religiosis austeritas, quam convenit experiri Novitium.

Dico 2. Habitus Religiosis non videtur de essentia Novitiatus; undè potest validè peragi in habitu saeculari, imò & licitè, subsistente justa causa.

Prob. 1. Pars ex cap. Porrectum, ubi dicitur, quòd Monachum non faciat habitus, sed Professio Religiosa; & ex cap. Quia ingredientibus de testamentis, ubi Abbatisa declarat professam, quae nunquam induerat habitum Monialium. Secunda pars constat ex communi praxi Religiosorum in Anglia, Hybernia, & in aliis locis Hereticorum, ubi suos Novitios probant in habitu saeculari, nemine reclamante. Satis tamen foret, si admissi ad Religionem in his partibus mitterentur ad partes Catholicorum, ut in Conventu & in habitu Religiosis suum Novitiatum perficerent, sicut modò faciunt nostri Hyberni.

Dices 1. Tridentinum supponit, susceptionem habitus Religionis pertinere ad essentiam Novitiatus. Etenim sess. 25. c. 15. de Regul. irritat professionem, quae fieret ante annum integrum probationis post susceptum habitum; ergo, R. N. Ant. Sic autem loquitur Concilium, quia sic sit ordinatè. Sumit itaque diem susceptionis habitus pro die, quo quis incorporatur Religioni. Si namquè voluisset, susceptionem habitus esse de essentia Novitiatus, id aperte declarasset, sicut declaravit de anno & aetate.

Dices 2. Gestatio habitus Religiosi est una ex austeritatibus Religionis; ergo eam debet experiri Novitius. R. N. Cons. Ergo eam debet experiri Novitius, ut Novitiatus sit validus, N. ut sit licitus, Subd. regularitèr loquendo, ut dicitur in prima Conclusionè, C. per accidens, & ubi justa causa adest aliter agendi, N. Non enim Novitius tenetur necessariò experiri omnes Religionis austeritates in specie, sed potest in eis ex causa dispensari, & sufficit, quòd sit sub obedientia Praelati, paratus ad omnia, quae jussit.

Pe-

Petes 1. Utrum habitus proprius Novitorum debeat esse distinctus ab habitu Professorum? R. In nullo Jure sive antiquo, sive novo, statui. Unde in nostro Prædicit. Ordine idem est habitus Novitorum & Professorum, nisi quod in Professione benedicatur, & non in susceptione. Cæterum servandus est Ritus consuevit Religiosis, & si forte ex alicujus statuto declararetur irritus Novitatus non peractus in habitu distincto, habendus esset pro irritato.

Petes 2. A quo debeat recipi habitus; R. debere recipi a legitimo Superiore; quia in Novitatus susceptione, fit conventio inter Novitium & Religionem: non est autem conventio sine mutuo contrahentium consensu, consequenter sine consensu legitimi Superioris, qui nomine Religionis cum Novitio contrahit & acceptat.

§. II. Qua etate sit inchoandus, & perficiendus Novitatus?

Dico. Novitatus non potest inchoari ante annum pubertatis, qui est 12. completus in feminis, & 14. completus in masculis; quia ante hoc tempus non potest haberi experimentum sufficiens quantum ad ea, quæ votum castitatis spectant. Et ita communiter sentiant Auctores. Completo autem anno pubertatis, nihil obstat quominus possit statim licite & valide inchoari, & perfici annus Novitatus; quo tamen finito non poterit immediatè sequi Professio, sed debet differri ad annum decimum sextum completum, quia ex Trid. Sess. 25. de Regul. cap. 15. non potest valde fieri ante hoc tempus.

Dices. Tridentinum ibid. cap. seq. 16. statuit, quod finito tempore Novitatus, Superiores Novitios, quos habiles invenerint, ad proficiendum admittant; aut Monasterio eos ejiciant: ergo: supponit Concilium, Novitatum non posse inchoari nisi anno decimo quinto completo, alioquin Novitius non poterit proficere, revolutis anno Novitatus, ut intendit Concilium. R. N. Illationem: quia Concilium ibi loquitur de Novitiis habitibus ad Professionem: Novitius autem in nostro casu non est secundum Concilium habitus ad Professionem, cum non attingat annum 16. completum, qui requiritur a Trid. ad Professionem. Insuper non intendit Concilium ita conjungere finem Novitatus cum Professione, quia hæc possit differri ex causa, puta propter infirmitatem, aut majorem & certiorum probationem, & similia, ut dicitur infra.

§. III. In quo loco sit perficiendus Novitatus?

Dico 1. Jure antiquo, cum Novitatus non esset de substantia Religionis, sed illi poterat renuntiari ex consensu partium, poterat fieri extra Monasterium. Id evidenter patet ex cap. Insinuante, Tit. Qui Clerici, vel Vocentes libr. 4. Tit. 6. ubi mulier, quæ habitum regulariter receperat & votum emiserat, nec unquam Monasterium ingressa fuerat, declaratur verè Religiosa. Dico 2. Nunc, cum Jure novo Trid. annus probationis sit de substantia Religionis, ita ut ante illum completum emissa professio sit nulla, sicut ei renuntiari non possit de consensu partium; videtur, quod Novitatus perfici valde non possit extra Monasterium, vel domum illius Ordinis, quem vult proficere Novitius: quia, cum sit institutus, ut & Monasterium mores Novitii experiatur, & Novitius mores Religionis, exigit hujus probationis natura, ut habeatur intra Claustra, & in consorcio Religiosorum: neque enim Regularis rigor, & Novitii mores extra Monasterium satis probari possunt. Et ita Congregationem Cardinalium declarasse, refert Sanchez libr. 1. Summa cap. 4. n. 17.

Nihil obstat tamen, quominus Novitius possit de licentia Superioris abesse a Monasterio etiam per aliquot menses, sive necessitatis alicujus, sive etiam recreationis causa, tum quia, ubicumque sit Religiosus ad tempus de licentia, & sub obedientia Superioris, censetur fisione Juris esse in Monasterio: tum quia non est necessarium, ut Novitius toto tempore Novitatus austeritates Religionis experiatur, ut patet in ægrotis; sed sufficit, si illas aliquo tempore experiatur, & alias sit paratus illas experiri ad nutum Superioris. Peccaret tamen Superior, qui sine justa causa talem licentiam concederet. Vide infra §. 5. Concl. 2. Dixi in Conclusionem vel domum; quia in Anglia & in Hybernia Novitii proficuntur in aliqua domo particulari, in qua habitant quidam Fratres.

Dico 3. Intra fines Italix, & Insularum adjacentium, Novitatus debet fieri non solum in Monasterio, sed in Monasterio a S. Sede designato: alioquin est irritus, & professio nulla. Ita Constitutiones Clementis VIII. & Innocentii X.

§. IV. Quanto tempore debeat durare Novitatus?

Dico. Secluso privilegio, Novitatus debet durare per annum integrum: alioquin nulla est Professio. Ita Trid. Sess. 25.

de Regul. C. 15. Nec, inquit, minori tempore, quam per annum, post susceptum habitum in probatione steteris, ad professionem admittatur: Professio autem antea facta sit nulla, &c. Et quamvis Jure antiquo Cap. Ad Apostolicam de Regul. libr. 3. cap. 31. posset anno integro Novitatus renuntiari ex consensu partium, ut jam dixi; quia tamen nunc, Jure novo Tridentini circ. annus integer probationis est de substantia Novitatus tamquam illius forma, utpotè sine quo nulla est Professio, estque institutus, non in solum favorem partium contrahentium, sed etiam totius Religionis, & Ecclesie, cum gravia damna, & scandala nata sint sequi ex Professione temerè facta, ut jam etiam dictum est, illi non potest renuntiari ex consensu partium, sicut Clericus non potest renuntiare privilegio Clericatus.

Adde, quod aliquot frustra esset posita Lex Concilii; nam ante illam Professio, facta ante annum integrum probationis sine consensu mutuo Novitii, & Monasterii, erat invalida, lex autem correctiva prioris debet sic intelligi, ut non sit superflua.

Sed difficultas est, an iste annus debeat esse integer mathematicè a momento ad momentum; an e contra sufficiat, si sit integer moraliter, qualis dicitur, si sit cepta ultima dies, aut si ei desint aliquot horæ, vel aliquot instantia, ut sit completa. R. Communior Sententia tenet, annum debere esse integrum mathematicè a momento ad momentum, ita ut si quis inchoet Novitatum hora 10. primæ diei hujus anni 1756. non possit valide proficere nisi hora 10. primæ diei anni sequentis; sitque invalida Professio, si fiat, vel instanti ante dictam horam. Ratio est 1. Quia sic intelligitur ann. 16. completus requisitus a Trid. ergo & annus integer Novitatus. 2. Quia quando lex assignat initium alicujus temporis a die terminata, computari debet a momento ad momentum, ut colligitur ex L. Denique §. 3. Minorum ff. libr. 4. tit. 4.

Alii tamen etiam numero plures intelligunt hanc Legem Tridentini de integritate morali anni, ita ut si inchoata sit dies ultima anni, vel desint aliquot horæ, vel aliqua instantia ad complementum mathematicum anni, valida sit Professio, 1. Quia in favorabilibus dies cepta habetur pro integra. 2. Quia in moralibus parum pro nihilo reputatur. Adde, quod hujusmodi anticipatio nihil faciat moraliter loquendo ad finem Legis; posito enim, quod sumptum fuerit ex utraque parte experimentum, usque ad ultimam diem inceptam, nihil moraliter accidere potest, quod vel Religio in Novitio, vel Novitius in Religione experiri potest. Cæterum in re tanti momenti a communi, & tutori Sententia non puto esse recedendum: neque ante factum suaderem, licet post factum improbare non audeam.

Quantum ad annum bissexilem, secundum 1. Sententiam, non censetur integer, nisi computato die superaddito, quia politice, & civiliter ille annus non censetur integer nisi constans 366. diebus, & tam Jure Eccles. quam Civili duo dies dicuntur sexto Kalendas Martii, & pro uno die habentur. Unde, qui incepit Novitatum 27. Februarii ann. 1755. non potest proficere nisi 28. Februarii anni sequentis.

Si petas, quando incipit Novitatus? R. quod in Religionibus, in quibus non est Conventus designatus pro Novitatu, incipiat in persona habili a die suscepti habitus, seu incorporationis in Religione ex Trid. Sess. 25. Cap. 13. In Religionibus verò, in quibus est Conventus designatus pro Novitatu, incipit in persona habili a die receptionis Novitii in Conventu designato. Quod si persona non sit habilis ad Novitatum, quando suscipit habitum, aut recipitur in Conventu designato, annus Novitatus incipit tantum a tempore habilitatis habitus.

Dixi in Conclusionem, secluso privilegio; quia Pius V. Const. Summi Sacerdotis, data ann. 1570. concessit Monialibus S. Dominici, consequenter per communicationem aliis tam mulieribus, quam viris, ut in casu morbi, Medici judicio mortalis, possint proficere ante annum completum Novitatus; dummodo tamen habeant ætatem requisitam, scilicet annum 16. completum. Huic privilegio non fuisse derogatum per Constitutionem In tanta Greg. XIII. multis probat Passerinus ad Q. 189. D. Th. pag. 105. præsertim quia Gregorius XIII. non revocavit per hanc Bullam omnes gratias factas Regularibus a Pio V. sed eas tantum de quibus ibi mentionem facit, & quæ concernunt interesse Episcoporum, & Parochorum; nullam autem mentionem facit de isto privilegio, quod aliunde nihil interest Episcoporum, & Parochorum.

Sed gravior difficultas est, utrum hujusmodi Professio sit absoluta, & rara, ita ut Novitius, vel Novitia, si convalescat, non teneatur complere annum integrum Novitatus, & aliam Professionem facere. Multi negant, eò quod Pius V. dicat se motum esse ad facultatem sic proficiendi concedendam, quia Salutem animarum dicitur Monialium Novitiarum, aut Professionis emissionem, & durante tempore probationis earumdem decedentium, sincerè desiderat affectu. Item dicit, se largi-

giri iisdem Monialibus Novitiis ita tunc professis decedentibus plenariam peccatorum suorum Indulgentiam, &c. Ex quibus videtur hæc professio esse facta & acceptata sub conditione mortis secutaræ; ita quod, si mors non sequatur, nulla sit, sed debeat fieri altera, completo prius anno Novitatus. Si tamen mors sequatur, Professio prius conditionata purificata conditione evadit absoluta, & Monasterium habet jus ad dotem.

Petes, utrum tempus Novitatus possit prorogari? R. posse prorogari ex causa legitima, puta, infirmitatis, defectus scientiæ aut morum, qui tamen defectus sperentur corrigibiles. Est Sententia communis Doctorum, & praxis communis Religionum. Neque id ullo Jure invenitur prohibendum, quin imò concessum ex variis declarationibus S. Congreg. ut mox patebit.

Dices. Concilium Trid. Sess. 25. Cap. 15. de Regularibus statuit, quod Novitius per annum post susceptum habitum ad Professionem admittatur: Ergo. R. ex declaratione S. Congreg. Concilii apud Passerinum ad Q. 189. S. Th. Inspect. 4. n. 57. quæ sic est: Concilium voluit, quempiam minori tempore, quam per annum, stare in probatione, idque expressim disposuit. Ne autem hoc tempus longius extendi possit, non prohibuit, ideoque arbitrio Superioris extendi, & prorogari potest. Et sic communiter interpretantur Theologi.

Inst. Trid. eadem Sess. cap. 16. sic statuit: Finito tempore Novitatus, Superiores Novitios, quos habiles invenerint ad proficiendum, admittant, aut Monasterio ejiciant: Ergo. R. sensum hujus Decreti esse, quod Superiores admittant ad Professionem Novitios, quos invenerint simpliciter & absolute habiles, & in quibus nulla sit causa differendi; ejiciant autem simpliciter & absolute inhabiles, non tamen inhabiles secundum quid, seu eos, in quibus est spes, quod intra certum tempus fient habiles. Ita ex ore Pii V. declaravit S. Congr. apud Passerinum ibid. n. 59. his verbis: Sanctitas sua dicit, decretum hujusmodi Concilii proferre tantum in illis Novitiis, quos Superiores, lapsis tempore Novitatus, habiles invenerint; non autem in illis, quos inhabiles invenerint, ut sunt illi, qui non bene didicerint: & ideo, quod attinet ad illos, Sanctitas sua concessit quod Superiores possunt prolongare illorum Professionem, dummodo habeant spem probabilem, quod efficiantur habiles infra sex menses. Ex his ultimis particulis quidam inferunt, professionem non posse differri ultra 6. menses, & sic legitur in nostris Constitutionibus Distinct. 1. Textu 11. Cap. 14. Lit. O ubi denuntiatur, Pium V. declarasse, Professionem alicujus ad proficiendum inepti ad sextum tantummodo mensem posse differri.

Attamen Passerinus loco cit. dicit, se vidisse fieri contrarium ex justa causa; contenditque, restrictionem Pii V. ad 6. menses non esse præceptivam, sed directivam tantum: quia, quando inhabilitas est personalis, puta, ex defectu scientiæ vel morum, regulariter sufficiunt 6. menses, ut novitius censatur vel simpliciter habilis, vel simpliciter inhabilis. Non prohibet autem, quod, si adsit justa causa majoris dilationis, qualis esse potest, si que proveniat ab extrinseco, ulterius differri Professionem; sed tantum declarat Jus commune, quod exigit ut sine causa non protrahatur Professio post probationem annum. Potest ergo differri Professio ad arbitrium viri prudentis, attentis omnibus circumstantiis.

§. V. Utrum annus Novitatus debeat esse continuus?

Dico 1. Annus Novitatus debet esse continuus; alias est nulla professio. Ita communis est Theologi, Canonistæ, & Juristæ. 1. Quia secundum communem acceptionem hæc vox Annus continuus decursum 12. mensium significat; & Jura, quæ important certum tempus, intelliguntur de tempore continuo, quia regulariter omne tempus est continuum. 2. Quia alias Novitius non est in statu idoneo experiendi omnes austeritates Religionis; gravius est enim experiri abstinentiam per annum continuum, quam per interpolatum; quamvis autem non teneatur Novitius actu experiri omnes austeritates Religionis in specie, debet tamen esse in statu idoneo omnes experiendi. Sed difficultas est, quando & per quot actus discontinuetur annus Novitatus? Pro cuius resolutione.

Dico 2. Sæpius sistendo in terminis antiquorum Canonum & Concilii Trid. annus Novitatus non discontinuatur per exitum Novitii de claustra de licentia Superioris. Prob. 1. Quia Religiosus, ubi vis sit de licentia, & sub obedientia Superioris, fisione Juris, ut jam dixi, censetur esse intra claustra. 2. Quia, quamvis in Jure decretum sit, quod Novitius debeat probari per annum continuum, nullibi tamen decretum est, quod per annum continuum debeat manere intra Claustra, neque quod debeat experiri omnes austeritates Religionis in specie & continuo, ut patet in ægrotis, & in eis qui legitime dispensantur; sed sufficit, si illas probet in genere, vivendo sub obedientia Superioris. 3. Negari non potest, quia Superior possit ex rationabili causa concedere suo subdito licentiam manendi extra Claustra.

Theol. Billuart. Pars Tertia.

trum. 4. Conversi, non secus ac Clerici, tenentur ad Novitatum continuum, & tamen non possunt experiri austeritates, ad quas recipiuntur, nisi mittantur extra Claustra ad quæstus faciendos. 5. Denique sic fuisse declaratum à S. Cong. Concilii, refert ex Navarro & Fagnano Passerinus loco prius cit. num. 86. Proposito enim dubio, an valeret Professio illius, qui tantum per mensem & dimidium anni Novitatus manserat in Monasterio, & residuo illius anni tempore de licentia & mandato Prælati steterat sub ejus obedientia in quadam curia agens gravia sui Monasterii negotia, & in fine anni Professionem per Procuratorem emisit? Responsum est, valere. Ex quibus colliges, quod, quamvis sit de substantia & forma Novitatus, quod Novitius post susceptum habitum aliquandiu in Conventu maneat, non sit tamen de substantia & forma Novitatus, quod Novitius per annum continuè maneat in Conventu.

Quod posset opponi ex §. 3. quod Novitatus debet fieri in Monasterio, ibidem solum est. Sufficit autem, quod licentia sit valida, seu concessa ab habente auctoritatem, etiam si sit illicita, seu sine justa & rationabili causa concessa; quia Novitius, qui ex licentia etiam illicita exit de Claustra, non deserit Religionem, neque ex propria voluntate operatur, sed ut Superiori subditus. Peccat quidem Superior, non verò Novitius, qui ex bona fide agit, & cujus non est dicere causas licentiæ; sed, etsi injustè licentiæ esset conscius, peccaret quidem, non tamen ejus exitus redderet Novitatum irritum; quia, ut dictum est, non est contra substantiam & formam Novitatus.

Dixi in Conclusionem, saltem sistendo in terminis antiquorum Canonum, & Concilii Trid. Quia hærendo terminis Constitutionum Clementis VIII. & Innocentii X. qui statuit, Novitatum in Italia & Insulis adjacentibus debere perfici in Conventu designato; quidam existimant, quod permanentia per annum in Conventu sit de forma & substantia Novitatus, adeoque quod exitus ex illa discontinuet Novitatum: ideo enim, inquit, volunt laudati Pontifices, Novitatum peragi in Conventibus designatis, ubi viget strictior observantia, ut sit optima Novitorum educatio secundum Regulam: intendunt ergo, quod in illis non solum recipiant habitum, sed etiam quod in illis continuè habitent per annum.

Verum responderi potest, quemcumque Novitatum esse institutum, ut sit optima Novitorum educatio secundum Regulam, & tamen permanentiam per annum in Conventu non esse de substantia & forma cujuscumque Novitatus. Ratio est; quia optima educatio Novitorum utrobique est finis legis, finis autem legis non cadit sub lege. Porro medium ad hunc finem consequendum, de novo præceptum per Constitutiones Clementis VIII. & Innocentii X. quodque pertinet ad formam & substantiam Novitatus, est, quod habitus recipiatur in Conventu designato, & in eo peragatur Novitatus, talis tamen qualis peragendus est de Jure communi: circè id enim nihil innovarunt laudati Pontifices.

Cæterum defensores hujus sententiæ ita illam limitant, ut vix differat à nostra Conclusionem. 1. Fatentur, eam non habere locum in Conversis. 2. Concedunt, existentiam diurnam extra Conventum non interrompere Novitatum. 3. Admittunt parvitatem materiæ: unde quidam horum existimant, quod manere extra Conventum ad pie peregrinandum, ad recuperandam sanitatem, ad negotium gerendum, imò & ad invisendum Parentes, non discontinuet Novitatum; quia, inquit, Leges & Decreta admittunt rationabiles interpretationes. 4. Excipiunt casum necessitatis, non solum physicæ, sed etiam moralis.

Dico 3. Per exitum de Conventu dimisso habitu, & cum animo relinquendi Religionem, sive id faciat Novitius propria voluntate, sive justè ejectus, interruptur Novitatus, ita ut, si post unum vel alterum diem, vel etiam post aliquas horas, Novitius redeat ad Conventum, aut à Conventu readmittatur, teneatur denud probationis annum inchoare. Constat ex declaratione S. Congr. Cardinalium Concilii Trid. Interpretum, quam declarationem se habere apud se authenticam, testatur Passerinus ad Q. 189. D. Th. inspectione 3. num. 132. Et ratio est; quia, posito exitu extra Conventum cum dimissione habitus, & animo derelinquendi Religionem, habetur perfecta & consummata abdicatio & desertio status Religiosi, sicut nova ejusdem status assumptio non potest censeri continuata cum priori.

Hinc inferes 1. Novitium, qui dimisit habitum animo redeundi ad sæculum, si, antequam exeat de Conventu, facti poenitens habitum reassumat, non interruptisse Novitatum; quia, quandiu manet in Conventu, est adhuc aliquo modo in statu Religioso, & nondum est consummata desertio. Inferes 2. Novitium, qui retento habitu exit sine licentia de Conventu, etiam animo non redeundi; si iste animus non manifestetur exterius per aliquam circumstantiam, qualis esse potest diuturnior permanentia extra Conventum, non interrompere Novitatum; quia delatio habitus est magnum signum permanentiæ in

in Statu Religioso. Nec obstat animus interior non redeundi, si non manifestetur exterius; quia, cum Religio sit status visibilis in facie Ecclesie, ita continuatio vel discontinuatio Novitiatu, qui est huius status inchoatio, debet esse visibilis in facie Ecclesie: unde, cum Ecclesia non iudicat de internis, qui vis animus Religioni contrarius, si non manifestetur exterius, non interrupt Novitiatum, qui est de Jure Ecclesiastico. Inferes 3. Novitium, qui non dimisso ad semper, sed deposito tantum ad tempus habitu, exit e Conventu sine licentia, non animo ut patet, relinquendi Religionem, sed ob aliam causam, sive bonam, puta, ad fugiendam sevitiā Magistrī, ad recurrendum ad superiores majores, &c. sive malam, ut ad fornicandum, ad tripudiandum, &c. non interrompere Novitiatum; quia, licet sit inobediens actu, non abiecit tamen statum & obligationem obediendi, cum intendat redire, & sit paratus subire pœnas inobediēti debitas: solus autem status & deputatio seu obligatio ad experimentum obediētiæ secundum Regulam est de substantia Novitiatu, non actualis obediētia, aut actualē experimentum austeritatum; ut patet v. g. in Novitio, qui sine licentia abest a Choro, comedit carnes in cella, frangit silentium, &c. Si tamen diu maneat extra Conventum sine habitu & licentia, jure præsumitur abiecit animum redeundi, & Novitiatum ejus interrupti. Inferes 4. Novitium injuste expulsus non sic discontinuare Novitiatum, ut, si postea readmittatur, debeat ex integro novum Novitiatum incipere; quia nemo sine culpa debet privari jure suo: debet tamen adimplere annum integrum Novitiatu, non computato tempore absentie, quia non censetur eo tempore Novitius. Itā tutius & nobis probabilis.

Dico 4. Infirmas Novitii post susceptum habitum, etsi durans per totum annum, non discontinuat Novitiatum. Itā ut, expleto anno, si aliunde si habilis ad Religionem, possit admitti ad Professionem; quia, ut jam sæpe dictum est, non tenetur Novitius omnes Religionis austeritates individuo & in specie experiri; sed sufficit, si experiat in genere perseverando per annum sub obediētia Prælati Insuper non potest quis melius experiri statum Religionis, & ejus austeritatem, quam in infirmitate, & aliunde Religio mores Novitii potest probare ex modo vivendi infirmitate.

Dico 5. Si post susceptum habitum superveniat amentia accidentaliter causata ex morbo, ut phœnesis ex violentia febris, non interrupt, nec suspendit Novitiatum. Patet 1. ex praxi communi omnium Religionum. 2. Quia talis amentia non habet in Novitio causam stabilem & permanentem, sed est accidentaliter effectus infirmitatis, qui non durat nisi per aliquot dies: unde perinde est, ac si Novitius eo tempore lethargo laboraret & dormiret.

Si autem amentia proveniat ex propria causa, scilicet ex perturbatione cerebri, & duret per aliquot menses aut etiam per mensem, non equidem discontinuat Novitiatum, quia Novitius ratione carens non abiecit statum, sed suspendit, & est complendus per tantum tempus, quanto amentia laboravit; quia usus rationis est de essentia probationis humanæ, qualem leges præcipiunt: si tamen per paucos dies, puta per decem, aut duodecim dies duret, sicut phœnesis ex morbo, idem ac de isto foret dicendum, scilicet, quod nec discontinuet nec suspendat Novitiatum; quia ista sunt moraliter sumenda & definienda; moraliter autem parum pronihilo reputatur. Ita communiter Canonistæ.

Dices. Canon: *Si tenor de Regularibus lib. 3. Tit. 31. videtur nihil aliud exigere, quam quod Novitius sit mentis compos; quando Professionem emittit, dicit enim, Novitium factum non esse Monachum, nisi, postquam mentis factus est compos, spontanea voluntate Professionem fecerit Monachalem.* Ergo.

R. N. Ant. ad Prob. Equidem Canon requirit, quod proficiens sit mentis compos; non verò dicit, quod non debuerit esse mentis compos tempore Novitiatu. Insuper iste Canon est Innocentii III. quo tempore annus continuus non erat de substantia Novitiatu, sicut nunc est post Alexand. IV. cap. Non solum in 6. & post Decretum Trid.

§. VI. Variæ Questiones circa præcedentem materiam discutuntur.

Petes 1. Utrum, qui sic ingreditur Religionem animo non proficendi, valde incipiat & pergat Novitiatum. Item utrum, qui tempore Novitiatu mutat animum, quem prius habuerat proficendi, non interrupt Novitiatum? R. & primum valde incipere & pergere Novitiatum, & secundum illum non interrompere; itā ut, si uterque finito anno Novitiatu intendat sincerè profiteri, valde profiteatur absque novo Novitiatu; quia Novitiatu est tantum de Jure positivo; Jus autem positivum præcipiens Novitiatum, non præcipit intentionem, que

est actus internus, & non est necessaria ad probationem & mutuum experimentum, quod lex intendit.

Item dicendum de eo, qui vi, aut metu suscipit habitum, & in eo perseverat usque ad finem anni, modo cessante vi, aut metu liberè profiteatur; quia, licet vis & metus repugnent Professioni, non repugnant tamen Novitiatu, cui sufficit, quod Novitius ex quacumque voluntate, etiam coacta, sit per annum sub habitu Religionis & obediētia Superioris in statu experiendi tam activè, quam passivè Religionem; id enim & nihil aliud præcipit lex Novitiatu.

Petes 2. Utrum, qui, absoluto anno Novitiatu, non emissa Professione sive tacita, sive expressa, exit e Conventu, sive cum licentia, sive sine licentia, sive retento, sive dimisso habitu, & animo non redeundi, si postea redeat, possit valde profiteri absque novo anno Novitiatu? R. affirmative, nisi Religionis, aut personæ conditio sit ita mutata, ut necessarium sit novum experimentum annuale.

Itā declaravit S. Congr. Concilii 27. Februarii 1597. pro his, qui redeunt ad sæculum cum licentia, & 12. Febr. 1598. pro his, qui exeunt sine licentia, his verbis: *Proposito dubio, an Novitia, que finito anno Novitiatu exiit à Monasterio absque licentia Ordinarii, iterum reversa, possit sine nota probatione ad Professionem emittendam admitti Die 12. Febr. 1598. S. Congregatio censuit, posse, nisi conditio Religionis, aut personæ sit mutata; idque à Superioribus Monasterii diligenter est dispendium.*

Intellige mutationem talem, que necessariè requirit experimentum, qualis non est simplex mutatio animi, seu propositum redeundi ad sæculum, ut patet ex laudatis declarationibus: equidem hæc animi mutatio, que fortè animi levitate & inconstantiam Novitii indicat, potest inducere Religionem, ut non admittat amplius, aut differat Professionem, non tamen ut exigat Novitiatum annuale.

Ratio præter laudatas declarationes suffragatur; quia annus Novitiatu non est necessarius Professioni ex natura rei, sed solo Jure positivo: unde, eo secluso, & attento solo Jure naturæ, posset quis profiteri Religionem in ipsa susceptione habitus, vel statim post: Jus autem positivum, præcipiens annum Novitiatu, non præcipit, saltem sub pœna nullitatis, Professionem faciendam statim post annum Novitiatu; potest enim ultra annum prorogari Novitiatu, ut superius dixi. Si ergo medio tempore exeat Novitius, & postea redeat; virtute prioris Novitiatu, secundum legem peracti, poterit profiteri, cum & ipse austeritates Ordinis, & Religio ipsius mores sufficienter, secundum præscriptum legis, exploraverint. Excipe cum S. Congregatione, nisi conditio Novitii, aut Conventus sit adeo mutata, ut novum experimentum sit necessarium. Itā pluraquam viginti Auctores, quos citat & sequitur Passerinus contra Suarezem, Pezrinum, Palam, & Vechium, quibus adhæret P. Henno.

Dices: Trid. Sess. 25. cap. 15. de Regul. statuit, ut post annum à susceptione habitus Novitius Professionem emittat; & cap. 16. decrevit, ut, finito anno Novitiatu, Novitius admittatur, aut eiciatur: Ergo præcipit continuationem anni Novitiatu cum Professione, R. I. N. Conseq. Nihil enim aliud intendit Concilium his decretis nisi prohibere, ne Professio fiat ante annum Novitiatu; non verò prohibere, ne Professio possit differri ultra annum, ut ostendi supra. 2. Data Conseq. ista decreta non sunt irritantia, sed prohibentia tantum, aut præcipientia.

Inferes: Ergo potest quis post decem annos & amplius profiteri, R. N. Illationem; quia moraliter loquendo impossibile est, quod per 10. annos, aut amplius, conditio personæ, aut Conventus non sit mutata, aut saltem non sit dubium de mutatione personæ, quo casu necessarium est novum experimentum: sed, si supponatur ex nulla parte factam esse mutationem, & id utrique parti constet, quod tamen vix est credibile; tunc non esset necessarium novum experimentum, & admittenda esset illatio.

Petes 3. Utrum transeuntibus ab una ad aliam Religionem necessarius sit novus & integer annus probationis? R. I. Transeuntibus ab uno Conventu ad alium, aut ab una Provincia ad aliam, sive arcioiorem, sive laxiorem, intrā eundem Ordinem, & sub eodem Generali, non est necessarius novus annus probationis; quia non sunt diversæ Religionis: in una enim parte seu Provincia, in qua strictius vivitur sub eodem Generali, nihil præcipitur, ut suppono, quod sit supra Regulam, & Leges fundamentales Ordinis; unde est simpliciter una Regula & una ejusdem Regulæ Professio. Pater in Ordine nostro, in quo, qui à quibusdam dicuntur *Reformati*, ab aliis non differunt nisi in observantia exactiori ejusdem Regulæ & earundem Constitutionum, & quod non utantur tam facile dispensationibus, sicut alii utuntur. Aliud dicendum foret, si in Provincia, ad quam transit, aliquid gravis momenti foret additum super Regulam, etiam,

etiam esset sub eodem Generali, propter rationes sequentis Responsionis. R. 2. Transeuntibus ab una Religione ad aliam, sive strictiorem, sive laxiorem? necessarius est novus annus probationis; quia, licet substantialia Religionis, scilicet tria vota essentialia, sint eadem in omnibus Religionibus, diversæ tamen sunt Regulæ & Constitutiones, in quibus necesse est probari Novitium.

Insuper. Ex una parte Religio, ad quam fit transitus, jure suspicatur hunc transitum fieri ex levitate & temeritate, atque transeuntem esse inconstantem, inquietum, turbulentum, vel obediētiæ parum assuetum. Ex altera parte timere sibi debet transiens, ne vel deficiat à fervore, vel angatur scrupulis, vel non valeat alterius Ordinis moribus accomodari. Quod si ad laxiorem Ordinem transeat, facile contingere potest, quod ex affectu austerioris vitæ mores Religiosorum in Ordine laxiori viventi despiciat & carpat, Religiosique vicissim ejus asperitatem & censuram egre ferant, sicque oriantur discordiæ, & pax turbetur. Itā committit Auctores; ita communis omnium Religionum praxis, estque Sententia probabilior & tutior; & ideo absolute tenenda in praxi, ubi agitur de nullitate Professionis.

Petes 4. Utrum Novitii gaudeant omnibus privilegiis Professorum? R. affirmative; quia secundum Jura in favorabilibus reputantur Religiosi; & æquum est, ut qui sentit incommodum, sentiat & commodum. Hinc. 1. Gaudet Privilegio Canonis, *Si quis suadente*, &c. & Fori, ita ut pro delicto, aut debito non possit conveniri à Jure Seculari, vel Episcopo, nisi se illi subjiciant, vel non sint Religiosis exemptæ. 2. Eximuntur à gabelis & tributis. 3. Possunt per Prælatos, aut per alios legitime deputatos absolvi ab omnibus peccatis, penis, Censuris, & Irregularitatibus, à quibus absolvi possunt Professi; ita ut si egediantur, non reviviscant ea, à quibus fuerunt absoluti; quia non secus, ac Professi fuerunt absolute & simpliciter absoluti. 4. Possunt confiteri Religiosis à Superiore deputatis, etsi approbati ab Ordinario.

Utrum autem possint etiam valide confiteri aliis, sive Regularibus, sive Secularibus, à solo Ordinario approbatis, & à Superiore non deputatis? Quidam affirmant; quia sunt adhuc de facto seculares. Alii negant; quia nemo potest valide confiteri nisi proprio Sacerdoti, vel alteri de ejus licentia; proprii autem Sacerdos Novitii est Prælatus Monasterii. Proprius enim cuilibet fidelis Sacerdos est ille, in cujus districtu fidelis habet domicilium; Novitius autem habet domicilium in Monasterio. Adde, quod, si Episcopus esset proprius Sacerdos Novitii, si non posset confiteri nisi Sacerdoti ab Episcopo approbato & deputato: quid ex generali praxi contraria constaret esse falsum. Hæc Sententia mihi est valde probabilis, & cum sit tutior, tenenda est in praxi.

Petes 5. Quam potestatem habeat Prælatus Regularis in Novitio? R. non habere potestatem patriam & dominativam, qualem habet in Professo; quia Novitii nondum se absolute tradiderunt Religioni: sed habent potestatem jurisdictionis, qualem habet Episcopus in Clericis. Itā Jura concedunt; tum quia id necessarium est ad bonum regimen Conventus & Novitii; tum quia æquum est, ut, qui eximitur à jurisdictione Episcopali, & Seculari, subjiciatur Regulari. Hinc Prælatus Regularis non potest irritare vota Novitorum; potest tamen in illis dispensare.

ARTICULUS III.

De Professione Religiosa.

§. I. Quid, & quotuplex sit Professio Religiosa.

Dico 1. Professio Religiosa non est simplex promissio, ut in voto simplici; sed est simul sui traditio ad cultum divinum, seu ad vivendum castè, sine proprio, & sub obediētia in Religione approbata, & simul traditionem acceptante. Prob. Quod quis se privet, non solum dominio, sed etiam usu libero sui, sue libertatis, sui corporis, & suarum rerum, non fit nisi traditione, per quam se alteri donat, atque in illum sui dominium transfert. Atqui in Religiosa Professione proficiens se sui, sue libertatis, & suarum rerum dominio & uso libero privat, illudque dominium Religioni transfert. Unde perinde est ac si quis alteri promitteret fructus agri & promittendo daret ipsum agrum, sequè obligaret ad illum excolendum juxta voluntatem acceptantis.

Ista autem traditio non fit per aliquem contractum reciprocum, & utrinque obligatorium, quo Religiosus se mancipat, & obligat Religioni ad obsequia spiritualia, & Religio se obligat proficenti ad ejus alimenta & vestimenta; id enim foret aperte simoniacum: sed est donatio, & traditio liberalis ex parte proficentis ad suam propriam utilitatem, & per

fectionem, & acceptationem ex parte Religionis. Quod autem Religio teneatur ad alimenta & vestimenta proficentis, non est ex vi alicujus pacti vel contractus, sed ex vi institutionis vitæ monasticæ, & quia Monasteriorum bona instituta & ordinata sunt in victum & amictum Religiosorum. Et sanè turpe foret quod Religiosus se daret Religioni principaliter, & ex pacto, ut aleretur ab ea, & quod Religio daret illi alimenta ut pretium conversionis in Deum.

Qui sint admittendi ad Professionem, qui rejiciendi, patet ex supra dictis Art. 1. hujus Dissert. Quibus adde, quod tam Professio, quam acceptatio debeant esse liberæ. Unde gravis metus injustè incussus in ordine ad Professionem emittendam, vel ad ejus acceptationem per Religionem, utramque irritat, ut dixi de Contractibus Dissert. 1. Art. 4.

Dico 2. Duplex distinguitur Professio; expressa, que verbis, & tacita, que factis exprimitur, & de qua Jura loquuntur in pluribus locis. Non differunt essentialiter, ut patet, sed in modo tantum. Unde conditiones, que requiruntur ad Professionem expressam, ut sit licita & valida, requiruntur pariter ad tacitam. Ut ergo sit Professio tacita, requiritur ex una parte, quod actus, per quem dicitur ita, fiat sciente & consentiente eo, ad quem spectat admittere ad Professionem; non est enim Professio Religiosa, nisi acceptata à Religione: ex altera parte, quod Novitius exercens actum inducivum Professionis, illum cognoscat ut talem, & intendat per eum profiteri; hoc enim est de essentia Professionis. Unde fit, quod rare sint Professiones tacite coram Deo; quia rari sunt Novitii, qui intendunt aliter profiteri, quam verbis expressis, licet in foro fori possint præsumi Professi. Pontas dicit, ex variis Sententiis Curiarum Supremarum, Professiones tacitas in Gallia non amplius admitti.

Duplici modo inducitur Professio tacita, vel gestanda habitum proprium Proficentis, vel exercendo actus ipsis proprios, prout habetur in variis testibus Juris. Quantum ad 2. observandum est, quod in pluribus Religionibus habitus Novitorum sit distinctus ab habitu Professorum, sive in aliquo permanente, ut in colore, vel forma, vel scissura, sive in aliqua actione transeunte, ut si habitus Professorum benedicatur solemniter, non habitus Novitorum; vel si habitus Professorum de Jure detur in uno loco, puta in Choro, & habitus Novitorum in alio, puta in Capitulo; vel si ille de Jure detur ab uno Superiore, puta à Provinciali, & iste ab alio, puta à Priore, &c. In quibusdam autem aliis Religionibus habitus Novitorum est indistinctus ab habitu Professorum, ut in nostro Prædicatorum Ordine: quamvis enim habitus professorum benedicatur & non habitus Novitorum; notat tamen Passerinus, quod hæc ceteronomia non sit solennis, nec necessaria, sed accidentaliter.

Quantum ad 2. Actus proprii Proficentis dicuntur, qui sunt vel Jure tales, ut vox activa & passiva in Electionibus, susceptio sacrorum Ordinum, &c. vel ex consuetudine, ut certæ oblationes à Proficentibus fieri solitæ Cap. *Vidua* de Regularibus l. 3. Tit. 31. Qui ergo, deposito habitu Novitorum, gestat habitum Professorum, aut qui in habitu communi Novitii & Proficentis exercet aliquem actum proprium Proficentis, in foro exteriori præsumitur Professus.

Dixi: *in foro exteriori*; quia in foro interiori, & coram Deo nulla est Professio, ut supra dictum est, sine intentione, expressa proficendi in Novitio, & acceptandi in Religione, vel in Superiore. Unde si fiat protestatio in contrarium, sive ex parte Novitii, sive ex parte Religionis, neque gestatio habitus proprii Proficentis, neque exercitium actuum illis propriorum, etiam in foro exteriori, inducant Professionem.

§. II. De effectibus Professionis validæ.

Primus effectus Professionis validæ est, quod proficentis non sit amplius sui juris, sed quod transeat sub potestate & dominio Religionis ratione traditionis, per quam seipsum totum Religioni donando tradit, & hanc traditionem voto consecrat, atque confirmat. Unde oritur ex parte Religionis vitæ cenobiticæ, & ex natura bonorum Monasterii, ut jam dixi, obligatio ministrandi necessaria Professo. Secundus effectus (*Hæc q. 189. art. 3. ad 3.*) est remissio omnium peccatorum peccatis debitaram, non ex opere operato, quia Professio non est Sacramentum; sed ex excellentia operis, quod est condigna satisfactio pro tota pœna peccatis debita. Unde secundum S. Hieron. Ep. 8. & 25. & S. Bernardum libr. de Precepto & Dispensat. Professio Religiosa comparatur Baptismo. Adde, quod Summi Pontifices concesserunt Indulgentiam plenariam proficentibus. Nota tamen, quod proficentis debet fieri in statu gratiæ; non enim remittitur pœna, nisi remissa culpa. Tertius effectus est extinctio omnium votorum Professionem præcedentium, sive sint reservata, sive non, sive realia, sive

personalia, sive in seculo, sive in Novitiu emissa. Ita S. Thom. quem unanimiter sequuntur Theologi. Sic autem habet S. Doct. 2. q. 88. art. 12. ad 1. Dicendum, inquit, quod omnia alia vota sint quorundam particularium operum: sed per Religionem homo totam vitam suam Dei obsequio deputat; particulare autem in universali includitur: & ideo Decretalis dicit, quod reus voti fracti non habetur, qui temporale obsequium in perpetuum Religionis observantiam commutat. Nec tamen Religionem ingrediens tenetur implere vota vel orationum, vel aliorum huiusmodi, quae existens in seculo fecit, quia Religionem ingrediens moritur priori vita. Et etiam singulares observantiae Religionis non competunt, & Religionis onus satis hominem onerat, ut alia superaddere non oporteat. Idem docet hic q. 189. art. 3. ad 3. & in 4. d. 38. q. 1. art. 4. q. 4. ad 1. & 2.

Sed questio est, utrum ista extinctio votorum fiat ipso iure vi professionis, independenter ab intentione Proficientis? R. probabilis & communis affirmativa. Et est expressa Sententia D. Thom. qui loco cit. in 4. ad 1. dicit: Ex ipsa vi voti Religionis à prioribus votis est absolutus, rationibus dicitis. Rationes autem dicit, quae sunt ibid. & quas retulimus supra ex 2. q. 88. probant, sic fieri tam Jure naturali divino, quam Ecclesiastico.

Jure naturali divino, probatur. Professio Religiosa habet se ad particularia vota prius emissa ut totum ad partes: quatenus omnia illa particularia vota continentur formaliter vel eminenter in voto Professionis: Ergo. Prob. Ant. deductione: Sic votum Castitatis continentur formaliter in voto Professionis: vota elemosynarum, largitionum, oblationum, &c. eminenter continentur in voto paupertatis; certo enim homo perfectiori modo solvit Deo omne debitum pecuniarum, dum per Professionem dat Deo totum, quod habet, & quod habere potest in posterum. Tandem alia opera honesta, quae possunt esse materia votorum particularium, & quae possunt exerceri ab homine in statu Religioso, eminentius continentur in voto obedientiae, quo homo se totum & sua opera dat Deo: Ergo. Hinc verè dixit S. Thom. loco cit. in 4. ad 2. quod Professio Religiosa sit quodammodo ampliatio voti, magis quam commutatio. Confirm. Homo per Professionem Religiosam moritur priori vitae, id est, priori voluntati & libertati, ita ut non sit amplius sui juris, sed juris Religionis & Dei: ergo non amplius tenetur priori obligatione, quae ex privata sua voluntate ortum habebat.

Jure Ecclesiastico, prob. ex Cap. S. Scriptura de voto, ubi dicitur universaliter de omnibus votis: Reus voti fracti non habetur, qui temporale obsequium in perpetuum Religionis observantiam commutat ubi haec vox commutat significat quidem actum hominis, sed qui ipsa Professione consistit, non in speciali profitentis intentione: est enim sensus apertus, quod proficiente commutat; quia scilicet ipsa Professione commutat. Confr. ex Cap. penultimo de Regularibus in 6. ubi dicitur, quod qui venerat ingredi Religionem strictiorem, & profiteri solemniter in laxiori, licet peccet, prius ejus votum simplex sit extinctum per solemne. Nasquam enim hic est exceptio Juris communis, sed est resolutio ex ipso Jure communi, hujus enim resolutionis haec adfertur ratio: Quia voto priori tanquam simpliciter per solemne solemne noscitur derogatum. Audis, non derogat, sed noscitur derogatum; à quo autem derogatum, nisi ab ipso Jure communi, tam naturali divino, quam Ecclesiastico? ut probatum est. Hinc vides, quantum à vero aberrat idem Henno, dum dicit S. Thom. non esse contrarium oppositae Sententiae; siquidem non solum omnes rationes, quas protulimus sicut ex ipso, sed ipse in terminis dicit, quod proficiens ex ipsa vi voti Religionis à prioribus votis sit absolutus. Hic error frequens est in isto Auctore, ubi agit de mente S. Thom.

Quartus effectus est dissolvere praecedens matrimonium ratum, non consummatum, & dirimere subsequens contractum. Trid. Sess. 24. Can. 6. & 9. De isto matrimonii impedimento vide plura in Theologia nostra, Tract. de Impedimentis matrimonii.

Quintus effectus est tollere Irregularitatem, ortam ex defectu natalium in ordine ad sacros Ordines suscipiendos, non tamen in ordine ad Praelaturas & dignitates c. 1. de filiis Presbyterorum. Item tollere inhabilitatem ad testificandum; ita ut Professus possit testificari judicialiter, quamvis antea ratione perjurii, aut furti, fuisset ad id declaratus inhabilis. Authent. de Monachis Collat. 1. Sextus effectus est eximere Professum à patria potestate, in his scilicet, in quibus est utile filio ab ejusmodi potestate esse liberum; secus in iis, in quibus id caderet in ejus damnum. Item à Jurisdictione Laicali, ita ut Professus gaudeat privilegio Fori & Canonis, ut dixi de Novitiis. Denique à Jurisdictione Ordinarii.

Oppones contra hoc ultimum caput Volentes de Privile-

giis in 6. ubi Innocentius IV. in Concil. Lateran. declarat, exemptos subijci Jurisdictioni Ordinarii in tribus casibus, scilicet ratione delicti, contractus initi; & rei litigiosae, si haec fiant, aut existant intra locum exemptionis. Et Trid. Sess. 7. c. 14. hanc declarationem confirmat & innovat. R. Cap. Volentes loqui in hac exceptione de exemptis localiter tantum, non de exemptis personaliter, qualiter sunt hodie plerumque Regulares ex quibusdam Constitutionibus sequentium Pontificum, qui etiam expressè huic Decretali ad abundantem cautelam derogant; exemptio autem personalis ubique afficit exemptum. Veritas hujus Responsionis patet ex ipsa Decretali. Nam ibid. §. In omnes, agens de exemptis personaliter quantum ad Censuras, declarat, quod Episcopus non possit Monachos pro ulla causa, ulloque loco interdicere, suspendere, vel excommunicare. Unde ad Trid. dicendum est, ipsum innovasse hoc decretum in suo sensu, scilicet quoad exemptos localiter tantum. Idque patet tum ex citato c. 14. ubi Concilium in causis miserabilium personarum subijcit Regulares Episcopis ut delegatis à S. Sede: similiter sess. 6. c. 3. Ex quo evidenter constat, quod non agnoscat in eis jurisdictionem ordinariam in Regulares. Sed, quod rem decretorie conficit, Paulus V. Constit. Religiosorum, data 14. Aug. 1607. declarat, Regulares non comprehendi sub Decretali Volentes, neque sub Decretis Concilii Trid. sess. 7. cap. 14. & sess. 24. cap. 10.

ARTICULUS IV.

De Professione invalida.

§. I. Utrum Professio invalida habeat aliquem effectum?

Quidam volunt, Professionem invalidam defectu alicujus conditionis, Jure positivo requisitae, valere in ratione voti simplicis, tum ad Religionem alteram proficiendam, tum ad castitatem servandam. Contra quos

Dico: Probabilis videtur, Professionem quovis Jure invalidam nullam habere effectum. Prob. Professio Religiosa non est simplex promissio vitae regularis facta Deo, sed est sui traditio & donatio ad vitam regularem, in hac specifica & individua Religione acceptante, quam donationem profertur voto facto Deo confirmat & sigillat: ergo ex quovis capite sit invalida donatio, est pariter invalidum votum de ea enisum, sicutque nullam inducens obligationem etiam voti simplicis, sive ad Religionem in communi, sive ad castitatem servandam.

Undè Trid. Sess. 25. cap. 15. de Professione invalida defectu aetatis 16. annorum, aut anni Novitiatus, quae sunt solemnitates à Jure positivo requisitae, declarat, quod sit nulla, nullamve inducat obligationem ad alicujus Regulae vel Religionis, vel Ordinis observantiam, aut ad alios quoscunque effectus. Hi autem termini universales excludunt omnem prorsus obligationem, etiam voti simplicis. Quod propter identitatem rationis videtur dicendum de aliis similibus casibus.

Dices 1. Secundum Jura antiqua quaedam Professiones invalidae censentur valere, vel ad Religionem in communi, vel ad castitatem servandam in seculo. Ergo. R. Jura antiqua sic censuisse ex praesumptione, quod Professioni accessisset votum simplex, sive antecedens, sive concomitans, sive subsequens Professionem, ut si quis prius vovisset simpliciter ingredi Religionem, vel servare castitatem, & ut vel simpliciter, vel melius voto satisficiat, Religionem profiteretur, supposita nullitate Professionis remanet obligatio voti simplicis; sed, secluso simili voto simpliciter, nulla restat obligatio praecise ex Professione invalida.

Dices 2. Leg. Tam Augustini ff. de servit. & cap. unic. de spons. in 6. statuitur haec Regula: Quando actus non valet, si cui fit, valet eo modo, quo valere potest: ergo, quando Professio Religiosa non valet in ratione voti solemnis, valet saltem in ratione voti simplicis. R. hanc Juris Regulam non habere locum in actibus, eorumque totus valor desumitur ab intentione agentis, ut est professio religiosa; sed in his actibus servanda est haec altera Regula: Actus tantum valet, quantum agens vult, ut valeat. Adde, quod ex prima Regula sequeretur, quod Professio Religiosa non valeret tantum in ratione voti simplicis Castitatis, ut volunt Adversarii; sed etiam in ratione voti simplicis Paupertatis & Obedientiae, quippe quae etiam fieri & servari possunt in seculo.

§. II. De Reclamatione contra Professionem invalidam.

Reclamare contra Professionem invalidam, est petere facultatem dimittendi habitum & statum religiosum, allegando causas nullitatis Professionis. De ista Reclamatione extat speciale decretum Concilii Trid. Sess. 25. Cap. 19. his verbis: Quocumque Regularis pretendas, per vim & metum in-

gressum esse Religionem; aut etiam dicat autem aetate debitam professum, aut aliquid simile, vel itaque habitum dimittere quocumque de causa, aut etiam cum habitu discedere sine licentia Superiorum; non audiat, nisi intra quinquennium tantum à die Professionis, & tunc non aliter nisi causas, quas praetenderit, deaverit coram Superiore suo & Ordinario. Quod si autem habitum sponte dimiserit, nullatenus ad allegandum quocumque causam admittatur, sed ad Monasterium redire cogatur & tanquam Apostata puniatur, interim verò nullo privilegio suae Religionis juvetur. Circa hoc Decretum occurrunt variae quaestiones resolvendae.

Petes 1. Quos istud decretum comprehendat? R. comprehendere omnes Religiosos, etiam militares, qui tria vota emittunt; quia sunt verè Religiosi: item eos, qui Societati Jesu sunt post biennium incorporati; quia in Bullis SS. Pontificum sunt etiam Religiosi. Denique omnes Moniales. Constat ex his terminis Decreti, Quocumque Regularis, qui cum sint universales, omnes quovis nomine vel titulo Regulares comprehendunt. Ita communiter.

Petes 2. utrum etiam comprehendat perpetuo inhabiles ad proficiendum. Item eos, qui toto tempore quinquennii non poterunt ratificare Professionem invalidam, nec reclamare ex impedimento quidem temporali, sed toto tempore quinquennii durante, v. g. metu vel ignorantia nullitatis Professionis.

Multis videtur, praefatos non comprehendere; quia Concilium determinavit quinquennium ex praesumptione, quod toto eo tempore ratificaretur Professio invalida, quod praefati non poterunt facere. 2. Sequeretur, quod id, quod est institutum in bonum Religionis, cederet in ejus gravamen; dum cogere retinere perpetuo inhabiles, aut nolentes profiteri. 3. Quia nemo cogi debet ad Religionem, cum sit onus gravissimum summa libertate suscipiendum. 4. Sequeretur, quod mulier, quae mentio sexu professa esset in Monasterio virorum, & non reclamasset tempore quinquennii, cogere in eo perpetuo manere, quod est absurdum. Hinc volunt, quod istae particulae Decreti, Ex quocumque causa, restringi debeant ad habiles ad proficiendum. His non obstantibus R. probabilis nobis videri etiam cum multis, praefatos sub isto Decreto comprehendendi, excepto impedimento perpetuo facti notorii permanentis, ut explicabo infra. 1. Quia haec particulae, Ex quocumque causa, cum sint universales, comprehendunt omnes casus: nec est ratio, cur restringantur ad solos habiles ad proficiendum, ut patet tum ex rationibus sequentibus, tum ex solutione rationum oppositarum. Undè 2. Quia intentum Concilii fuit, ut iudicium nullitatis Professionis non esset penes solum Professum, tum ne pateret lata via ad Apostasias impune habendas, quod accideret dum quisque diceret se esse, aut fuisse inhabilem; tum quia secundum se injustum est, ut parte inaudita auferatur ab ea, quod legitime possidet; possidet autem legitime Religio quoquo modo Professum. 3. Quia Concilium istud Decretum edidit, non solum ex praesumptione, quod tempore quinquennii ratificaretur Professio invalida, aut ederetur tacita, ut supponit opposita Sententia, sed etiam pro tranquillitate Religionum, quae nunquam haberetur, si sub quovis praetextu licet toto tempore vitae Religiosi & Religioni reclamare. Et ideo ad limitandum tempus huiusmodi litium & contentionum decrevit pro Religione, & Religiosis descriptionem Professionis terminato quinquennio, sive fuerit valida Professio, sive invalida.

Quidam addunt in confirmationem hujus Sententiae quasdam declarationes S. Congregationis; sed esto forte de his declarationibus non satis constare, saltem stylus & praxis Curiae est, quod nullum, elapso quinquennio admittat ad reclamandum, nisi via extraordinaria obtinuerit à S. Sede aperiens oris, seu, ut dicitur communiter, restitutionem in integrum. Dixi: Excepto impedimento perpetuo facti notorii permanentis; ut si mulier mentio sexu professa esset in Monasterio virorum, aut vir in Monasterio mulierum, aut Hermaphroditus perfectus & certus in alterutro; cum enim is teneretur exire, id posset se solo, non petita licentia, nec servata forma praecedentis decreti, non solum post quinquennium, sed post 20, 30 annos, & amplius. Quia, inquit Auctores, notorium facti permanentis non eget probatione, nec requirit ordinem iudicii, & quod extrinsecus patet, expressè probare non est necesse: quae enim necessitas probandi, cum esse cæcum, qui non habet oculos?

Et hinc patet Responsio ad quartam probationem Sententiae oppositae. Ad 1. patet Responsio ex tertia ratione nostrae Sententiae, nimirum, quia Concilium decretum istud edidit, non ex sola praesumptione ratificationis tempore quinquennii, sed etiam pro tranquillitate Religionum, quae non posset haberi, si toto tempore vitae locus esset reclamationi. Ad 2. R. majus esse inconveniens, quod Religio exponatur perpetuis litibus & contentionibus, quam quod retineat Religiosum inha-

bilem tempore ejus vitae. Ad 3. R. veram esse per se; secus per accident, ad vitandum majus inconveniens. Adde, quod patet ipsi recursus ad S. Sedem pro obtinenda restitutione in integrum. Sed.

Petes 3. à quo temporis puncto incipiat istud quinquennium? R. non incipere, ut quidam volunt, à cessatione impedimenti ad proficiendum, aut à cessatione ignorantiae nullitatis Professionis, sed à tempore Professionis sive expressae, sive tacitae, praesumptae scilicet per exercitium alicujus actus Professionis proprii. Constat tum ex Responsione praecedenti, tum ex his verbis expressis Decreti, nisi intra quinquennium tantum à die Professionis numerandum: Ubi particulae nisi & tantum sic affirmant quod ponunt, ut excludant omnes alios casus praeter expressum; ex quo etiam colligitur, quod istud quinquennium sit numerandum de momento ad momentum; quia istae particulae sunt taxativae, & non admittunt ampliationem, aut diminutionem: unde nullus elapso quinquennio à professione est audiendus, nisi obtineat à Sede Apostolica restitutionem in integrum.

Quae obijci possunt contra hanc Responsionem, soluta sunt in praecedenti Responsione.

Si dicas ulterius, posse contingere, quod Professio, aut permanentia Professi in Religione sit manifestè contra legem naturalem aut divinam, ut si sit scandalum, quod dubius Hermaphroditus maneat in Monasterio; aut sit maritus, qui preterit adulterii uxoris Religionem professus est, & post multos annos inveniatur nulliter professus, eò quod ipse ante Professionem pariter adulteratus fuisset, & inde perdidit jus proficiendi Religionem invita uxore; foret enim aperta injustitia ipsum non reddere uxori: nulla autem lex humana praevallere debet legi naturali vel divinae. R. Responsionem nostram esse intelligendam, salva Lege naturali & divina; non enim Concilium intendit peccatum, aut peccati incentivum. Attamen casus propositi non multum urgent. In 1. enim posset separari dubius Hermaphroditus, sic ut absit scandalum, donec de ejus causa per Iudices definitur. In 2. equidem restitutio est de Jure naturali; sed potest differri ex causa, qualis potest esse necessitas cognoscendi nullitatem Professionis in facie Ecclesiae. Ceterum, si attentis circumstantiis lex naturalis obliget ad statim, servanda est.

Ex dictis in duabus praecedentibus Responsionibus colliges, nulli, sive sit dubius, sive etiam certus de nullitate suae Professionis, quam tamen nullitatem possit in iudicio probare, licere deserere Religionem & redire ad seculum, non servata hujus Decreti forma. Equidem, si sit certus de nullitate suae Professionis, non erit Apostata coram Deo, nec incurret censuras contra Apostatas latis; quia Apostasia supponit Professionem Religiosam; peccabit tamen, & erit Apostata in foro Ecclesiae, atque ut talis puniatur. Dixi: Quam tamen nullitatem possit in iudicio probare; quia existimo, salvo meliori iudicio, quod, qui omnino certus est de nullitate suae Professionis, & eam nullitatem non potest probare, possit licite, secluso tamen scandalo sine licentia, & non servata forma hujus decreti, deserere Religionem & redire ad seculum; quia Decretum non videtur comprehendere nisi eos, qui causa nullitatis suae Professionis deducere & probare possunt in iudicio.

Petes 4. Utrum, qui dimisso habitu recessit sine licentia, & ideo non est audiendus, si redeat sive spontè sive coacte, possit, reassumpto habitu, audiri; R. juxta communem Sententiam affirmative; quia Concilium non prohibet audiri, si redeat; intellige durante quinquennio à Professione, quia eo elapso non est audiendus, ut dictum est, nisi obtineat restitutionem in integrum.

Petes 5. De quo Superiore, & de quo Ordinario intelligendum sit Decretum? R. intelligendum esse de Superiore locali Conventus, in quo emissa fuit Professio; & de Ordinario Diocesis, in qua situs est iste Conventus. Ita communiter. Sub nomine Ordinarii veniunt Capitulum Sede vacante, & Vicarius Episcopi. Adjungit autem Concilium Ordinarium Superiorem, ut ab eis conjunctim fieret inquisitio & ferretur Sententia, quia Superiorem non judicavit Iudicem ex omni parte integrum, eo quod agatur de re sua, & possit induci vel ad dimitendum valide Professum, quia est Religioni noxius, vel ad retinendum invalidè Professum, quia est Religioni utilis. In casu autem, quod isti duo Iudices non conveniant, lis per Sedem Apostolicam est dirimenda.

Petes 6. Utrum in hoc iudicio citandi sint Parentes, vel heredes, aut alii interesse habentes? R. à pluribus negari. Attamen Passerius refert, Rotam irritasse huiusmodi Sententias, quia non fuerant citati interesse habentes, Indubitatum est autem, citandam esse Religionem, seu Conventum Collegialem, qui per suum Procuratorem comparet.

Petes 7. Quae bona dimissus, probata nullitate Professionis, secum deferat? R. deferre 1. quae Religioni donavit intuitu Professionis; quia haec donata sunt sub conditione, quae non

non purificatur 2. Quæ in Religione ipsi donata vel legata fuerunt ab amicis, aut consanguineis ratione personæ, ipsius sunt; secus, si fuerint donata intuitu Religionis, licet occasione Professi. 3. Quæ acquisivit in Religione docendo, concionando, ministrando Sacramenta, &c. etiam ipsius sunt & secum defert; quia est capax domini, nec intendit acquirere Religioni, nisi ex errore Professionis validæ; si enim scivisset esse invalidam, nec ipsam ratificare voluisset, indubit sibi acquisivisset: error autem non tribuit verum titulum, nec verum dominium.

Verum est equidem, sic nulliter professum teneri Religioni de alimentis & vestimentis; quia in sæculo vixisset de suo; in Religione autem vixit de alieno. Unde, si sit possessor

bonæ fidei, tenetur ad id, in quo factus est ditior; si sit malæ fidei, tenetur ad totum.

Si dicas, ipsum interim intersisse Religioni. R. obsequia communia Religionis esse simpliciter in utilitatem Religiosi operantis & non Religionis, sicque non debent intrare compensationem pro alimentis & vestimentis à Religione subministratis: secus autem foret dicendum, si obsequia essent specialia, necessaria, aut utilia Religioni.

Quæ hæc usque diximus de reclamacione nulliter Professi contra suam Professionem, pariter dicenda sunt de reclamacione Religionis contra ejus Professionem; quia sunt correlativa, & quæ statuntur de uno correlativo, censentur de alio.

PROTESTATIO AUCTORIS.

Quæ hæc usque scripsi ad majorem Dei gloriam, & Scholarum, nostræ presentium, utilitatem, non solum Romani Pontificis, cujus sum obediens Filius, sed cujusvis melius sapientis correctioni sponte subijcio.

Item protestor, me neminem ex animo læsisse; errores, non errantes, impugnare, & veritatem, sicut novi, pro viribus defendere, mens mihi una fuit. Quod si aliquod verbum minus gratum præter intentionem exciderit, pro non dicto haberi cupio. De cætero, Lector benivole, si quid in Scriptis meis tibi displiceat, tenuitati meæ condona; si quid placeat, Deo bonorum omnium largitori adscribe, cujus donis frui, & vale.

FINIS.



IN-

INDEX

DISSERTATIONUM, ARTICULORUM, PARAGRAFORUM, PETITIONUM, Consecratorum, Digressionum, &c. Quæ in hoc Tomo continentur.

TRACTATUS DE INCARNATIONE.

<i>Præmium</i> , in quo recensentur varæ hæreses circa Incarnationis Mysteriorum.	Pag. 1.	Solvuntur objectiones.	ibid.
DISSERTATIO I. De possibilitate & cognoscibilitate Incarnationis.	ibid.	Art. III. Utrum unio naturæ divinæ & humanæ sit aliquid creatum; sive utrum detur nexus evidens formalis inter utrumque?	29.
Art. I. Utrum Incarnatio Verbi sit possibilis?	2.	Solvuntur Objectiones.	ibid.
Solvuntur Objectiones.	ibid.	Corollaria.	30.
Art. II. Utrum lumine naturali possit demonstrari, aut cognosci possibilitas Incarnationis?	3.	Art. IV. Utrum unio humanitatis & divinitatis sit substantialis, eaque omnium maxima?	ibid.
Consecrarium.	ibid.	Art. V. Varæ difficultates expenduntur ex cæteris articulis D. Thom.	31.
Petes, an, & quibus revelatum fuerit mysterium Incarnationis?	4.	DIGRESSIO I. HISTORICA. De Nestorianismo.	ibid.
DISSERTATIO II. De existentia Incarnationis contra Judæos.	ibid.	Secio I. Synopsis historica Nestorianismi.	ibid.
Art. I. Præmittenda de divinitate Messæ.	ibid.	De Concilio Ephesino in causa Nestorii.	32.
Art. II. Utrum Messias advenerit.	ibid.	De Pace inter S. Cyrillum & Joannem Antiochenum.	ibid.
§. I. Prima probatio ex Vaticinio Jacob.	5.	Secio II. Utrum Nestorius purus hærescos jure asseri possit?	ibid.
Præcluduntur effugia Judæorum.	5.	Solvuntur objectiones.	ibid.
§. II. Secunda probatio ex septuaginta Hebdomadibus Daniæliæ.	6.	Secio III. De convocacione & præsentia Concilii Ephesini. Quis illud convocavit? Quis illi præfuit?	33.
Solvuntur Objectiones Judæorum.	6.	Secio IV. De Epistolis & anathematismis S. Cyrilli. Utrum hæc scripta sint erroris pura?	34.
§. III. Tertia probatio ex Prophetis Aggæo & Malachia, prædicentibus Messiam oriturum stante secundo Templo.	ibid.	Solvuntur Objectiones.	ibid.
Art. III. De peracto Incarnationis mysterio in Jesu Nazareno.	ibid.	Secio V. De fide Joannis Antiocheni & Episcoporum orientalium in causa Nestorii. Utrum Joannes Antiochenus cum suis Orientalibus errori Nestorii adhererit?	35.
§. I. Prima probatio, petita ex jam laudatis vaticiniis Jacob & Daniælis.	ibid.	DIGRESSIO II. HISTORICA. De Eutychnismo.	ibid.
I. Difficultas Quid nomine Judæ in Jacobæo vaticinio sit intelligendum? an sola Tribus Judæ, an tota Gens Judaica?	8.	Secio I. Synopsis historica Eutychnismi.	ibid.
II. Difficultas Utrum Herodes fuerit genere Judæorum, an alienigena?	10.	De Prædicatoria Synodo, seu Lætrocinio Ephesino.	36.
Petes 1. Si Herodes non fuerit ex genere Judæorum, ex quo ergo alio genere?	ibid.	De Concilio Chalcedonensi in causa Eutychetis.	ibid.
Petes 2. Quo sensu Christus in Vaticinio Jacob dicitur <i>Expectatio gentium</i> ? Et Ab Aggæo <i>Desiderantibus gentibus</i> , cum ejus futuri adventus Gentes nullam haberent notitiam?	ibid.	Synodi Chalcedonensis hostes.	37.
§. II. Secunda probatio ex Prophetis prænantibus circumstantias Nativitatis, vitæ & mortis Messæ, adimpletis in Jesu Nazareno.	ibid.	Henoticon Zenonis.	ibid.
§. III. Tertia probatio ex his, quæ prænantia sunt ex adventu Messæ subsecutura, & quæ ex adventu Christi nostri sunt adimpleta.	11.	Acephali.	ibid.
§. IV. Quarta probatio ex miraculis Christi, comparatis cum miraculis Moysis.	13.	Theopaschite.	ibid.
Art. IV. Solvuntur Objectiones Judæorum.	ibid.	Secio II. In quo situs sit error Eutychetis?	ibid.
DIGRESSIO I. HISTORICA. De Josephi testimonio; sine genuinum, an suppositivum?	14.	Secio III. De convocacione & præsidio Concilii Chalcedonensis. Quis illud convocavit; quis illi præfuit?	38.
DIGRESSIO II. HISTORICA De libris Sibyllinis Utrum sint genuini, an suppositivi?	16.	Secio IV. De Epistola dogmatica S. Leonis ad S. Flavianum, in Concilio Chalcedonensi approbata.	39.
DISSERTATIO III. De convenientia, necessitate, & motivo Incarnationis.	16.	Secio V. Utrum Theodoretus merito coactus sit à Concilio Chalcedonensi dicere Anathema Nestorio?	ibid.
Art. I. De convenientia Incarnationis.	ibid.	Solvuntur Objectiones.	40.
Art. II. De necessitate Incarnationis.	17.	DISSERTATIO V. De causa tam morali quàm physica Incarnationis.	41.
§. I. Utrum Incarnatio fuerit necessaria ad repartitionem generis humani?	ibid.	Art. I. Utrum Christus meruerit, aut mereri potuerit suam Incarnationem?	ibid.
Solvuntur Objectiones.	ibid.	Solvuntur Objectiones.	ibid.
§. II. Utrum ad condignam satisfactionem pro peccato necessaria fuerit Incarnatio?	18.	Art. II. Utrum Christus meruerit circumstantias sive Incarnationis?	43.
Solvuntur objectiones.	ibid.	Art. III. Utrum sancti Patres meruerint Incarnationem?	ibid.
Art. III. De motivo Incarnationis. Utrum, si homo non peccasset, Deus vi præsentis decreti incarnatus fuisset?	20.	Art. IV. Quæ fuerit causa physica Incarnationis.	44.
Solvuntur Objectiones.	21.	DISSERTATIO VI. De persona assumente.	45.
Art. IV. Ad quæ peccata delenda venerit Christus.	24.	Art. I. Utrum proprium sit personæ Divinæ naturam alienam terminare?	ibid.
DISSERTATIO IV. De quidditate Incarnationis, sive de ipsa unione hypostatica.	ibid.	Solvuntur Objectiones.	ibid.
Art. I. Utrum unio Verbi incarnati facta sit in natura, vel in persona?	ibid.	Art. II. Per quid immediatè terminatur natura humana in Christo? An per aliquid absolutum, vel per aliquid relativum?	46.
Consecrarium.	26.	Solvuntur Objectiones.	ibid.
Solvuntur Objectiones Eutychniorum contra primam Conclusionem.	ibid.	Art. III. Utrum Deus secundum se, abstrahendo à Personalitatibus relativis, possit naturam alienam assumere?	47.
Solvuntur Objectiones Nestorianorum contra secundam Conclusionem.	27.	Art. IV. Utrum plures personæ divinæ possint simul, vel divisim assumere eandem numero naturam humanam? Et è contra, an plures humanitates possint simul ab eadem persona divina assumi?	ibid.
Art. II. Utrum Christus sit persona composita?	28.	Corollaria.	48.
		DISSERTATIO VII. De natura assumptibili & assumpta; necnon de ordine assumptionis.	49.
		Art. I. De natura assumptibili.	ibid.
		§. I. Utrum omnis natura completa sit assumptibilis à Verbo?	ibid.
		Solvuntur Objectiones.	ibid.
		§. II. Utrum Verbum assumere potuerit naturam, propria substantia terminatam, ea retenta?	50.
		Varæ Quæstionculæ resolvuntur.	ibid.
		§. III. Utrum substantiæ incomplete & accidentia possint assumi à Verbo?	51.
		Art. II. De natura assumpta.	ibid.
			Spe-